PROPOSITIONES

EX

SACRA THEOLOGIA UNIVERSA

QUAS IN ALMA ET CELEBERRIMA

IMP. REG. UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICE DEFENDENDAS SUSCIPIT

XI. KALENDAS JULII MDCCCXXVII.

MICHAEL-ANGELUS DE-FAVERI

CENETENSIS

SUPREMA THEOLOGIAE LAUREA

DONANDUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVII.

Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.

II. Corinth. 3. 5.

EX

ARCHAEOLOGIA BIBLICA

1. In conflictu testium profanorum cum testibus coaevis, vel saltem domesticis librorum sacrorum V. F., horum profecto praevalere debet auctoritas.

2. Ad textum Thalmudis illustrandum duae Gemarae compositae sunt, quarum alia hierosolymitana, babylonica alia nuncupatur, atque haec illa posterior.

3. Recensentur jure merito inter Archaeologiae biblicae fontes etiam itineraria peregrinantium, qui hodierno aevo orientales regiones lustraverunt, quamvis ad critices regulas excutiuntur illorum adserta.

4. Dies apud Hebraeos ex lege Mosis procurrebat a vespera usque ad vesperam; at naturalis dies ab ortu solis ad occasum in sex dividebatur partes, quemadmodum obtinuit, et nunc etiam obtinet apud Arabes; hinc intelligitur quid sit Gen. III. 8. ventus diei.

5. Quadruplex in V. F. hebdomadum genus statuitur: hebdomas dierum, hebdomas hebdomadum, hebdomas annorum, hebdomas septem annorum sabbathicorum.

EX

INTRODUCT. IN LIBROS V. FOEDERIS.

1. Subvertitur illorum hypothesis, qui conjiciunt aevo recentiori Pentateuchum fuisse compactum, nempe aetate Davidis, vel exilii babylonici, partim ex legibus, quas tantum scripserit, atque hebraeo populo reliquerit Moses, partim ex antiquitatis historicis monumentis, tum ex traditionibus ac fragmentis, ex inscriptionibus hieroglyphicis, ex canticis, genealogiis, atque id genus aliis, e quibus omnibus simul positis ac dispositis compositum demum fuerit hoc, quod habemus hodiedum, Pentateuchi opus.
2. Liber Josua tendit ad scopum Hebraeorum posteros edocendi, completas jam opere fuisse Patriarchis toties repetitas de occupanda regione Chanaan, eaque inter Tribus partienda promissiones.
3. In tres partes commode dispescitur argumentum libri Judicum, quae inter se haud alia colligantur ratione, nisi qua gesta ex aetate Judicum referantur.
4. Narratur factum sub aevo Judicum in libro Ruth, tamen ipse liber non ante, sed post Davidem fuit conscriptus.
5. Produnt unum eumdemque auctorem libri Samuelis et Regum.

EX

HISTORIA ECCLESIASTICA

1. Constitutiones Apostolorum sunt apocryphae, ab Apostolorum et Ecclesiae doctrina alienae: ipsis adeo Apostolis et Clementi romano suppositae.

2. Septem epistolae D. Ignatio jure sunt adscriptae et genuinae.

3. Pontifex Victor non excommunicavit Asiae Episcopos veterem consuetudinem sequentes celebrandi Paschatis die lunae decimaequartae.

4. Nicaeno Concilio jure praefuerunt Osius, Vitus et Vincentius ut Legati romani Pontificis.

5. Omnes Canones Concilii chalcedonensis a Leone Papa non fuerunt sanciti.

6. Concilium oecumenicum quintum recte damnavit tria Capitula.

7. Quinta Synodus adprobata ab omni Ecclesia.

EX

HERMENEUTICA

1. Interpres non debet in sola vocabulorum significatione detineri, sed ad vocabulorum quoque sensum ascendat necesse est.
2. Usus loquendi nonnisi generalem vocabulorum significationem dat;
3. quare, ut specialem vocabulorum sensum adsequi possit, debet interpres et consilium scriptoris, et ejusdem culturam cognoscere:
4. contextus quoque ad determinandum in locis dubiis scriptoris sensum vim habet.

Ex Introduct. in libros N. Foederis.

5. Evangelium Matthaei Hebraeis in primis fuisse destinatum evincimus.
6. Probabile omnino est Marcum Evangelium suum juxta id, quod a Petro audierat, scripsisse.
7. Authentia capitis ex Marco XVI. a vers. 9 usque ad finem, et capitis ex Luca I. a vers. 5 usque ad finem capitis II. contra adversariorum objectiones propugnatur.

EX

JURE ECCLESIASTICO

1. Ecclesia in rebus fidei et morum inerrantiae privilegio gaudet.

2. Decretales pontificiae ante Siricium, prout extant in collectione isidoriana, sunt suppositae.

3. Romanus Pontifex habet in Ecclesia primatum non solum honoris, sed etiam auctoritatis et jurisdictionis.

4. Media ecclesiasticae potestatis propria plurimum conferunt ad civitatis bonum promovendum.

5. Simoniaca beneficiorum collatio illicita est et nulla.

6. Matrimonium ordinatur in bonum Naturae, Civitatis et Ecclesiae.

7. Censurae ecclesiasticae nonnisi pro peccato gravi et externo infligi possunt.

EX

THEOLOGIA DOGMATICA

1. De fide est unum esse Deum.

2. Mysterium Ss. Trinitatis rationi non repugnat.

3. Filius est verus Deus Patrique consubstantialis.

4. Duplex est in Christo natura atque voluntas, divina et humana.

5. Christus pro nobis vere pleneque satisfecit.

6. Septem, nec plura nec pauciora, sunt novae legis Sacramenta.

7. Justus gratiam sanctificantem amittere potest.

8. Poenarum in altera vita aeternitas tum ex fide, tum ex ratione comprobatur.

EX

THEOLOGIA MORALI

1. Humanis legibus ex conscientia obtemperare subditus quisque tenetur.

2. Nullo unquam casu licet fidem exterius negare, quamvis id simulato animo fiat.

3. Juris jurandi honestas vindicatur.

4. Abstinentiae et sobrietatis officium asseritur.

5. Sacramenti Poenitentiae necessitas lapsis post baptismum stabilitur.

6. Precationis necessitas defenditur.

7. Castimoniae Sacerdotum lex ab Ecclesia sancita aequa et conveniens adstruitur.

EX

THEOLOGIA PASTORALI

1. Vita sacri Pastoris publica distinguenda est ab ejusdem vita privata.

2. Vita publica consideranda est tum in Ecclesia, tum domi, tum ubi Pastor extra domum versatur.

3. In Ecclesia videndum est, ne quidquam desideretur aut quoad templi decorem et apte docendi solertiam, aut quoad promptam et integram Sacramentorum administrationem, aut quoad sacrarum functionum decentiam.

4. Domi necesse est ut nihil adeuntes offendat sive causa ornatus, sive causa personarum, quae familiam Pastoris constituunt.

5. Extra domum Pastor ita se habeat oportet, ut sibi conciliet existimationem et reverentiam.

6. Vita privata danda est orationi et studio rerum sacrarum; orationi, ut petat ea supernaturalia dona, quae ad recte gerendum pastorale munus necessaria sunt; studio, ne, quae in nostris scientiis positiva praecipue sunt, excidant e memoria.

7. Tandem curandum summopere a Pastore est, ut virtutem adamet, a vitiis abhorreat, ne cum aliis praedicaverit, ipse demum reprobus efficiatur.

EX

THEOLOGIA PASTORALI

1. Vita sacri Pastoris publica distinguenda est ab ejusdem vita privata.
2. Vita publica consideranda est tum in Ecclesia, tum domi, tum ubi Pastor extra domum versatur.
3. In Ecclesia videndum est, ne quidquam desideretur aut quoad templi decorem et apte docendi solertiam, aut quoad promptam et integram Sacramentorum administrationem, aut quoad sacrarum functionum decentiam.
4. Domi necesse est ut nihil adeuntes offendat sive causa ornatus, sive causa personarum, quae familiam Pastoris constituunt.
5. Extra domum Pastor ita se habeat oportet, ut sibi conciliet existimationem et reverentiam.
6. Vita privata danda est orationi et studio rerum sacrarum; orationi, ut petat ea supernaturalia dona, quae ad recte gerendum pastorale munus necessaria sunt; studio, ne, quae in nostris scientiis positiva praecipue sunt, excidant e memoria.
7. Tandem curandum summopere a Pastore est, ut virtutem adamet, a vitiis abhorreat, ne cum aliis praedicaverit, ipse demum reprobus efficiatur.